

XXVI.

1670, 57

M

29

Divina Adspirante Gratia!
SEQUENTES CONCLUSIONES
De

LEGITIMA LIBE-
RORUM

ex Auth. Novissima. l. 30. & l. 36. C. de
inoff. Testam. junct. c. Raynutius. X. de
Testament.
Permissu

Magnifici ac Nobilissimi Jctorum
in Illustri Salana Ordinis.

SUB PRÆSIDIO

BURCHARD - HENRICI
TILEMANNI,

J. U. Doctoris ac Advocati celeberrimi
Patroni atque Præceptoris sui jugi obser-
vantia honorisque cultu devenerandi.

Exercitii Academici vice

Publicè discutiendas proponit

JOHANNES Krieg / Crotend. Misn.

ad diem 22. Octobris Anno 1670.

Jena, Typis Bauhoferianis.

52



I. N. D. N. J. C.

De legitima liberorum.

Conclus. I.

Legitima à lege primùm meruit dici.

Legitimum aliàs in jure nostro variis sumitur modis; præprimis autem (1.) Pro eo, quod est ex *L. XII. Tabb.*: utpote successiones testamentariæ à lege approbata salutantur legitimæ, *l. 120. & 120. de V. S.* item Legitima agnatorum, parentum, ac patronorum tutela, de qua agitur in *J. lib. 1. tit 15. seq.* (2.) Opponitur ei, quod à voluntate & electione testatoris provenit, ut in *l. 13. pr. l. 17. §. 1. l. 22. pr. de acquir. hered.* (3.) Restringitur ad quotam successionis lege statutam, quo signif. vicissim bifariam potest accipi, vel *impropriè*, pro jure succedendi, *arg. l. 7. ibi: velut ad debitam. de bon. damn. jung. l. II. de lib. & posth.* vel *propriè*, pro determinata quota, s. portione successionis, per *Auth. Novissima. C. de inoff. T. add. l. 6. C. eod. & l. 8. §. 8. & 9. ff. eod.* Hæc vel est descendentium, vel ascendentium, vel collateralium; De prima nobis impræsentiarum, quæ alioqui vocatur quarta pars, s. quarta debitæ portionis, *l. 36. §. 1. C. d. t. resp. scil. Juris veteris. d. l. 8. §. 8.* item, quarta legitimæ partis, *§. 3. 7. eod. item, legitima portio, l. 30. pr. C. eod.* item, portio minuscula, *l. 33. C. d. t. item, debitum bonorum subsidium, l. 5. C. de inoff. don. item, debitum naturale. N. 18. c. 1.* materialiter considerata. *Magn. Dn. Strauch. Disf. 9. aph. 35.* Interdum vocatur Falcidia, *l. 31. & auth. unde et si parens. C. de inoff. T. N. 92. pr. &* hoc quid. non propriè, quasi Falcidia & hæc quarta Legitima nihil planè differrent; sed *impropriè* & quod in personis liberorum hæc nonnunquam confundantur, aut saltim una in alteram immutetur, *vid Ludov. in eleganti Tract. de ult. volunt. c. 4.* Græc. νόμιμον μέρος, λάχος, ποσημόριον Gothofr.

in not. ad d. No. Germ. Vollständig gebührendes Pflichtheil/ Bescheidetheil/ Nothgebühren/ sicque sub intelligitur pars: Ein Theil dessen / was einer sonst aus seines Vatern Gush/ pro legitima haben solte.

Conclus. II.

Definitur autem Legitima nostra, quod sit quota portionis bonorum ab intestato, debita liberis, ex ratione naturali introducta, J. v. Civili plenè constituta ac terminata.

Esse quotam portionis ab intestato, expressè dicitur in *l. 8. §. 31. C. de inoff. T. l. 2. C. de inoff. don. junct. l. 8. §. 6. ff. de inoff. T. & N. l. c. 1. §. 1. verb. secundum quartam ab intestato: quomodo etiam tenet Donell. l. 19. Comm. c. 4. Alex. Trentacinq. l. 1. var. resol. Tit. de legit. resol. 3. n. 10. Hart. Pist. l. 2. q. 38. n. 16. Angel. de Gambigliol. in Tr. de test. gl. 72. n. 3. Unde etiam à denegatione ac exclusione successionis ab intestato, ad exclusionem legitimæ valida est illatio; quia successiones fontes sunt, ex quib. Legitimæ scaturiunt, manant ac profluunt, ut loquitur Claud. de Battand. in pref. de Legit. sub fin. & legitima regitur regulaturque in omnib. à causa intestati, gl. comm. recepta in *l. 8. §. 11. ff. d. t. Socin. jun. conf. 87. n. 7. l. 4. Menoch. Conf. 153. n. 18. lib. 2. Patet ex dictis simul, nec foemina, quæ per statutum, extantib. masculis, à successione excluditur, legitimam deberi, quia incapax successionis, incapax qq. est legitimæ Petr. Heig. p. 1. q. 25. n. 11. quod latius diducunt Tiracquell. de jur. Primog. q. 55. n. 9. Ludov. Molin. de prim. Hispan. l. 2. c. 1. Bonorum autem portionem eam appellavimus, non eo quidem sensu, quo Dd. vulgò legitimam quotam bonorum, quotæ hæreditatis oppositam esse contendunt, sed quatenus juxta Africanum in *l. 208. de V. S. bonorum appellatio, sicuti hæreditatis universitatem, ac jus successionis, & non singulares res demonstrat: vel quatenus denotat universum alicujus patrimonium; quomodo accipiebatur in veteri acquisitione per arrogationem, t. t. J. de success. subl. quo sensu etiam non rarer legiti ma nostra audit portio substantiæ; in auth. noviss. §. l. 36. C. de inoff. T. N. 18. c. 1. Unde***

Unde sunt, qui vocab. hoc *substantiæ* omnium tutissimè in defini-
tione collocari autumant, quia omnem legitimam de jure nostro
civili quotam bonorum vel hereditatis esse, temerè cum vulgo
asserendum non videtur; De qua tamen spinosa omniumq; con-
fessione ardua controversia in tanta Dd. dissensione nostram sen-
tentiam, propter angustiam pagellæ, nolumus addere, remittimus
potius B.L. ad *Trentl. vol. 1. Disp. 13. §. 11. Franzk. in Comm. ad π. de
inoff. T. n. 35.* his poterit addi *Alvarus Valascus Jctus Hispanus in
Praxi paratit. & Collat. c. 17. n. 18.* Adscripsimus ulterius legitimam
J. naturali, ratione sc. sui materialis, nam liberis à parentibus (vel
his ab illis) alimenta deberi jus naturæ dicitur, alimentorum au-
tem loco succedit legitima, (subintellige tamen, ut diximus, ma-
terialiter accepta) *N. 18. c. 3. Ant. Faber. in C. l. 3. t. 19.* unde ead.
utriusque ex J. Nat. descendit persolvendæ obligatio, quo perti-
nent clari text. in *l. 7. de bon. damn. §. 1. unde liber c. jus na-
tur 7. dist. 1.* Sed quantum liberis (l. parentibus) debeatur, jus
naturæ nusquam positivè decrevit. Succurrit itaque JClæ defe-
ctum J. naturalis autoritate sua supplendo, addendo, & specifi-
cando, quod à J. naturæ nusquam determinatum erat. Hinc re-
ctè de specificatione legitimæ *M. Anton. Cuchus Tr. de legit. pr. n.
7.* notat. Quod tertia potius quam quarta vel dimidia ejus quod
quis ab intestato fuisset consecutus debeatur, id nihil ad J. N.
spectat, sed ad j. positivum duntaxat refertur. Unde patet legiti-
mæ, quæ talis, originem non juri nat: sed civili tantum adscri-
bendam esse, utut fundamentum ejus in principiis J. Naturalis,
alio tamen atque alio modo, radicetur. Hinc eleganter etiam *B.
Dn. Franzk. in egregio Comm. ad π. tit. de inoff. T. n. 22.* Legitima,
ait, si pressè loqui velis, formaliter JClis est. Idque vel inde li-
quet, quia à lege suam substantiam accepit *arg. l. 36. C. d. t. junct.
l. 6. pr. C. de sec. nuptiis. & N. 18. c. 1. & N. 1. pr. §. 2. add. Claud. Chi-
slet. Jctum Gallum de Port. legit. c. 3. per tot. Claud. de Battandier.
Tract. de legit. c. 1. Jos. de Sesse vol. 1. regn. Arragon. dec. 26. in pr.*
Neque diētis resistit quod *Paulus in l. 7. ff. de bon. dam. ait, rati-
onem naturalem quasi legem quandam tacitam liberis parentum
hæreditatem addicere, velut ad debitam successionem eos vocan-
do, junct. l. 36. §. f. C. de inoff. T. ibiq; Gothofr. nam ut taceamus le-*

ges alias, quoties de liberorum jure in bonis paternis loquun-
 tur, facere id indefinitely, l. 7. §. ult. unde liberi. & ipsam descen-
 dentium successionem non ex illorum genere esse quæ juris na-
 turæ sunt positivè, sed unum ex illis existere quæ fundamentum
 habent in conditione naturali, seu ad quæ J. nat. inclinat. ut egre-
 giè observat B. D. Hahn. Antecessor quondam juris in Academia Ju-
 lia Celeberrimus. in observ. Theor. Pract. ad Parat. VVesenb. de J. &
 J. n. 15. tamen dictum illud Pauli in all. l. 7. locum habet, si pa-
 rentes intestati decesserint, neque ultimam suam voluntatem ex-
 pressam reliquerint, quia libera disponendi facultas de suis eo i-
 pso parentibus adempta non est. l. 8. C. de inoff. T. & in illius de-
 fectum demum succedit illa ab intestato hereditatis transmissio
 arg. l. 89. de R. J. Ex dictis haut difficulter colligi potest, quid sen-
 tiendum de notissima ac satis intricata quæstione, an legitima
 lege ac statuto tolli vel minui possit? Conflictus plura suppedit-
 abit. Ultimo diximus legitimam nostram esse constitutam li-
 beris. Indigitamus autem vocabulo liberorum omnes in linea
 descendendi constitutos, relatione facta ad eum, de cujus succes-
 sione quæritur, sive filios, s. filias, sive nepotes, s. neptes, eo tamen
 ordine quo successuri essent ab intestato. Debetur itaque liberis
 (1.) legitimis & naturalibus simul, nec interest, an sint sui, an e-
 mancipati. l. 7. l. 8. ff. de inoff. T. Moller. ad Const. Elect. Sax. 10. p.
 3. & libro Sem. 2. Dn. Struv. Exerc. X, §. 11. n. 1. Alia tamen ratio
 erit in filiis separatis, vulgò: abgelegten abgefonderten Kindern /
 in quibus & hodiè effectum exheredationis, & de j. veteri eman-
 cipatorum durare Dd. communiter tradunt, & possunt de his vi-
 deri (quia hujus loci propriè non sunt) Dan. Mev. ad J. Lubec. p.
 2. tit. 1. & 2. art. 8. 12. 31. & 33. Hahn. in dis. de Jure rerum concl.
 73. n. 15. (2) Legitimatæ, tam per sub sequens matrimonium, N.
 89. c. 8. Magn. Dn. Richter de success. ab intest. sect. 1. m. 3. n. 15. Carpz.
 2. C. 6. d. 12. n. 3. quàm (3) per rescriptum Principis arg. d. N. c. 9.
 Concessis enim legitimatis his legitimæ fundamentis, legitimam
 ipsam iisdem deberi in confesso est. Nec diversum de J. nostro
 civili obtinet in legitimatis per oblationem curiæ, per No. 89. c.
 2. uti etiam in terminis tenet Ant. Rosell. Tr. de legit. l. 3. n. 2. 3. li-
 cet hodiè illa legitimationis species in desuetudinem abierit, nec
 in

in ejus locum oblatio monasteriorum verosimiliori Dd. sententia successerit. *Bach. ad Tr. vol. 1. D. 2. 0. 6. lit. E.* (4) posthumo, quia si de ipsius commodo agitur, pro jam nato habetur. *l. 7. §. 26. de stat. hom. l. 30. §. 1. de acq. vol. omitt. hered. modò tamen 1. posthumus vivus, integer & justo tempore in lucem procedat, nec ad monstrum l. prodigium declinet, l. 3. C. de posth. her. inst. Hahn. ad Wesenb. de stat. hom. n. 3.* Et 2. testator talem relinquat, qui ex eo probabiliter natus præsumatur, & ob vires naturales nasci aut procreari ab eo potuerit; nam si octuogenarius paulò ante obitum juvenulam ducens, eandemque decedens prægnantem relinquat, posthumus non ex eo, sed ex alio conceptus præsumetur, adeoque nullum successionis jus eidem quæsitum fuerit *Dn. Richter d. l. n. 3.* Excipimus tamen (1) furiosos, qui non legitimam, sed alimenta tantum consequuntur, *l. 16. §. 2. de Curat. furios. l. 51. pr. de her. pet.* (2) Spurios, illi enim planè nullam sperare debent ex bonis paternis, quia patrem habere non intelliguntur *§. 12. J. de nupt. secus est in maternis. Dn. Struv. d. l. n. 4. Rittersh. ad N. part. 6. c. 4. n. 16. Forster lib. 6. de success. c. 11. n. 5. seq. Treutl. vol. 1. D. 13. 0. 14. lit. A.* (3) denique adoptivos, quod liberorum appellatione non veniant, nisi casibus in jure nuncupatim expressis. *Gail. 2. O. 136. n. 14. Rittersh. d. l. n. 17.* & hoc quod diximus procedit, si ab extraneo adoptatus; secus se res habet, si ab ascendente. De arrogatorum quarta, idè qua est *§. 3. J. de adopt. §. l. pen. §. f. C. eod.* hìc non erimus solliciti, quia potius pertinet ad materiam cognatorum, & à nostra legitima multum differt. *Merlin. de legit. l. 1. r. 2. q. 3.*

Conclus. III.

Deducitur ex bonis.

Quippe est quota bonorum, *l. 6. C. de inoff. T. l. 8. §. 9 ff. eod. Gail. 2. O. 128. n. 2.* non obstante contraria opinione *Treutl. vol. 1. D. 13. th. 16.* Adeoque non debetur prius liberis nisi omni ære alieno deducto, solvendum E. omne æs alienum, funeris impensæ, &c. *l. 8. §. 9. ff. d. t. Gail. 2. O. 119. n. 11.* Etenim bona non dicuntur, nisi deducto ære alieno. *l. 72. de jur. dot. l. 11. d. jur. fisc. l. 39. §. 1. de V. S.* Hìc loci (1) notandum, quod filii habeant opti-

optionem in quibus velint sibi dari, salvo tamen arbitrio boni viri, vel iudicis, *per l. 26. §. ult. de legat. 1.* nec eandem in pecunia numerata inviti, sed ex ipsa substantia bonorum, corporibusque hereditatis detrahere queunt. *l. 36. §. repletionem. C. de inoff. T. Magn. Dn. Richter. dec. 40. n. 20. Perez. in C. d. t. n. 37. (2)* quod in successione Regni, Ducatus, Comitatus aliarumque dignitatum indivisibilem, ubi J. primogenituræ viget, filii cæteri post eum, qui Regnum vel Ducatum jure heredis accepit, contenti esse debeant pecuniâ, (quæ tamen ad rationem & quantitatem legitimæ non est commensuranda, unde apud Hispanos in vulgus abiit vox Apenagii, Panagii, vitæ & militiæ *vid. Pet. Heig. p. 1. qu. 25. n. 35.*) nisi tamen alia in contrarium consuetudo; ætiologia est hæc, quod istæ dignitates absque corruptione dividi vix possint; Id quod quoque ad familias Nobilium, quæ ex lege majorum sunt indivisibiles extenditur. *Pet. Gregor. Tholos. in Syntag. jur. univers. lib. 44. c. 5. n. 18.* Expedi namque Reip. integras eas conservari. *l. 1. §. 14. de vent. in sp.* accedit, quod per illam divisionem nervus virium diminuitur; contra v. ad conservationem magnarum familiarum & gentilitatis splendorem pertinere, si hujusmodi dignitates maneat indivisæ, ac J. primogenituræ locum obtineat, extra omnem dubitationis aleam positum esse reor.

Conclus. IV.

Et quid. iis, quæ fuerunt tempore mortis.

L. 6. C. de inoff. T. l. 24. ff. que in fraud. cred. l. 73. l. 30. ad L. Falc. ante mortem enim neutiquam constare potest, quid & quantum tempore mortis futurum sit in bonis morientis propter inopinatos casus *Ant. Fab. lib. 3. C. t. 79. def. 27. Carpz. 3. C. 12. d. 10.* cumque quandoque homines de facultatibus suis amplius sperent, quam in iis reyerà est. *§. 3. J. qu. ex c. man. non lic.*

Conclus. V.

Ac in quibus locum habet successio hereditaria, non vero feudalis.

Respectu

Respectu scil. habito ad filias, ætiologia redditur hæc, quia legiti-
 timam petere valent ab intestato succedentes; Jam vero filiabus
 in feudis successio competit nulla, nulla consequenter legitima l.
 6. §. 1. de inoff. T. Pet. Heig. p. 1. qu. 25. Hart. Pist. p. 2. qu. 38. n. 15.
 seqq. Limitatur hoc assertum in feudis hereditariis, in quibus ii, qui
 sunt sexus sequioris ad successionem admittuntur, vigore Consti-
 tutionis in verbis: *Zu rechten Erblehn/sür Erben und Erbnehmen:* (de
 quorum verborum sensu vid. Struv. Synt. Feud. c. 4. aph. 12. n. marg.
 4. & seqq.) E. quoque ad legitimam; Sic nec in re emphyteuticâ
 consensu domini alienata, legitimam postulare prohibentur. Hart.
 Pist. d. l. n. 14. Utrum vero ex feudo noviter à patre emto
 nata debitum hoc naturale flagitare queat, sub iudice lis est.
 Perez. & Schrad. id indistinctè negant; Verum Thoming. dec.
 2. affirmat. De J. Sax. res in pro patulo est, sec. Constit. Elect. 2.
 sub rubr. *Ob die Töchter aus neu erkauften Lehngütern legiti-*
mam zu fordern haben: publicè non editam, quam allegat Capz.
dec. 175. Scil. ut eam quidem petere possint, at non ex ipso feu-
 do novo & ejus substantia; verum ex ejus pretio, & ita de-
 mum, si pater pecuniam suam non ex venditione avitorum feu-
 dorum, sed aliunde honestè quæsitam, in emtionem novi feudi
 contulerit. arg. l. 33. de donat. l. 3. C. ad St. Maced. Hart. Pist.
 d. l. n. 63. Restrigitur tamen legitima in d. Const. Elect. h. m.
 si plures, quam tres sint liberi, loco legitimæ sit quarta, sin mi-
 nus triens. Eo autem passu reputatur pro debito legali, & spe-
 ciali, ac singulariter privilegiato, tradente Crpz. d. dec. n. 9. hinc
 etiam tribuimus hoc casu filiabus in feudo legalem hypothe-
 cam ex Constit. Elect. 46. p. 2. vid. Struv. Synt. Feud. c. 14. aph. 4.
 & 19.

Conclus. VI.

Quapropter dum in vivis sunt parentes, cogi-
 hautquaquam possunt liberis dare suis, aut as-
 signare legitimam.

B

l. 1.

L. 1. §. 21. de collat. ubi Bart. Vivis. 1. com. opin. n. 199. Liberi namque vivente patre in bonis ejus regulariter nil juris habent, etiam quoad legitimam, *Carpz. 3. C. 12. d. 20. n. 10.* adeò, ut ne cogi quidem possit parens, etiamsi dilapidator, *Bart. in d. l. 1. §. 21. de collat Rittersh. d. l. n. 21.* potest enim haberi remedium ordinarium, ut interdicator patri bonis & curator detur. Excipimus autem nonnullos casus, (1) si filius pro debito vel pro delicto capitali carceribus sit inclusus; tunc ei pater legitimam portionem tradere est obstrictus, *Pet. Greg. Tholos. d. l. n. 36.* & quem ibidem allegat *Guil. Benedict. in c. Raynutius. 1. §. ad verb. eod. testam. n. 214. seq.* Limitamus autem hactenus dicta, ut locum non habeant, si ex filio, qui deliquit, pater habeat nepotem, aut ex contumacia filius sit condemnatus. *vid. Moller. in Sem. lib. 3. c. 6. n. 4. cum seqq.* adde casum, quem tractat *Reinhard. par. 6. differ. 43.* Ubi puer septennis alteri puero oculum effoderat, pater solvere pœnam L. Aquiliæ de J. Sax. Jussus est. (2) Pater Recutitus filio ad Christianismum converso *arg. l. 19. C. de heret.* (3) si adsit periculum fraudis, ut cum parens est Anabaptista, & filii orthodoxi, quia metuendum, ne pater cuncta sua bona in sectæ illius detestabilem transferat communionem. *Carpz. d. l. n. 6. seqq. Brunn. ad l. 6. C. de inoff. T.* (4) Consequitur filius legitimam patre non repugnante, prout factum invenimus apud *Luc. Evangelistam c. 15.* ubi prodigus filius petens à patre nactus est substantiam sibi post mortem debitam. Num vero parentes id ipsum faciant, exitum illius de grege luxuriantium satis superque edocere opinor. (5) huc referimus casum, ubi pater dotare filiam ac filio conditionem quærere tenetur *l. 19. de R. N. l. f. §. neque n. C. de dot. promiss.*

Conclus. VII.

Ubi E. Pater spontè vel aliis causis exceptis legitimam in vita sua assignavit, tunc auctis bonis etiam illa augetur.

Quod

Quod fieri potest, ut omnes fatentur, teste *Grass. qu. 12. in f. Jas. in auth. noviss. n. 10. C. de inoff. T. Covarr. ad c. Raymtius n. 8. Dissent. Boer. dec. 26. Soar. lit. L. n. 74. & multi relati à grass.*

Conclus. IIX.

Nec tamen si post mortem parentum augeatur hereditas, augetur liberorum legitima.

Spectatur enim in illa computanda tempus mortis, & quantum eo in bonis defuncti fuit, ut paulò ante diximus. *Struv. Synt. J. C. Ex. X. th. 34.* Distinguendum tñ. h. l. inter augmentum intrinsicum & extrinsecum; Istud est, cum eadem res hereditariæ post spatium 4. 5. 6. vel plurium annorum plaris æstimantur: E. g. pater reliquit tria millia tempore obitus, quæ 4. 5. vel 6. abhinc anno postmodum æstimantur 6. millibus: Hoc autem cum hereditas augetur vel alluvione, vel accessione, &c. de hoc non de illo Conclusio nostra intelligenda. *conf. Fachin. lib. 4. controu. c. 26.*

Conclus. IX.

Erat autem quondam hæc legitima indistinctè quadrans.

L. 8. §. 8. D. de inoff. T. l. 6. §. 8. C. eod. §. f. J. eod. Quantitas E. legitime non omni tempore fuit eadem. Olim enim, ut diximus, indistinctè, quotcunque etiam existebant liberi erat quarta pars, s. quadrans, quæ constabat ex tribus unciis, cujusmodi portio erat quarta pars totius assis, sicuti ex quatuor unciis constans portio est triens; i. e. tertia pars totius assis, qui in 12. unicas dividebatur, ut liquet ex §. 5. *J. de her. instit. ibique eleganter Jul. Pac. in analysi.* Jam finge, defunctum in bonis reliquisse 12. mil-

millia imperialium, & superstites existere tres liberos: hoc casu quota legitimæ erit 3000. thalerorum, quos liberi inter se dividunt, ut quilibet exinde capiat mille imperiales: Namque 12000. quarta pars sunt 3000. eademque loco legitimæ semel tantum debentur, quia s. unus s. plures de inofficioso egerint, una quarta eis danda est, ut illa pro rata inter omnes dividatur. *6. ult. J. de inoff. T. N. 18. c. 1.* Verum enim verò quia hoc casu sæpè contingebat, ut existentibus plurib. liberis portio legitima ex bonis defuncti fortè in se non adeò amplis distribuenda, iisdemq; futura esset exigua, cum tamen còheres forsitam extraneus universàliter institutus residuam substantiam sibi vendicasset univèrsam, quo ipso sui heredes in hereditate paterna à natura sibi destinata nimio plus lædebantur; Hinc visum est Scratiss. Imper. nostro Justiniano *in N. 18. c. 1.* præfatam portionem legitimam pro numero personarum augere.

Conclus. X.

Jure novissimo metienda venit ex triente, vel semisse respectu habito ad numerum liberorum.

Ut si sunt 4. vel pauciores, triens; Si v. 5. numerove plures semis. *N. 1. N. 18. c. 1. Auth. noviss. C. de inoff. T.* Qui postmodum pro rata liberis distribuitur *§. 6. J. eod.* Huc spectant versiculi:

Quatuor aut infra dant natis jura trientem;

Semissem vero dant natis quinque vel ultra,

Arbitrium sequitur substantia cætera patris.

Sed an hoc indistinctè & eo quoque casu obtineat, quo unus vel alter defecerit, ita ut pars deficiens illam portionem aliàs pro numero liberorum determinatam augeat vel minuatur, non usque quaque expeditum est; Unde ardua & spinosa nobis subnascitur quæstio; Utrum filii, qui à parentum suorum successione

fione

fione, puta per justam exhæredationem, juratam renunciationem, vel etiam jus statutarium, vel etiam per delictum excludantur, in numerum filiorum computandi sint, ad reliquorum, qui succedunt, portionem legitimam vel augendam, vel minuendam? In qua subtili ac per difficili controversia Bart. Socin. & alii bonum esse censuerunt, respondere ore parvo, & magis sub dubio, quam ore magno ponendo os decisivum. Verum quia omnia quæ ei illustrandæ faciunt, huc afferre nimis operosum foret, sufficiat Lectorem ad eos remisisse Autores, qui dictæ controversiæ lucem pridem fœnerarunt clarissimam, & quibus nos, quod præter album calculum adjiciamus, non habemus. Videantur itaque *Alex. Trentacinq. lib. 1. var. resol. t. de legit. resol. 3. n. 9. Fachin. lib. 4. controu. c. 31. Gail. 2. O. 122. n. 18. Berlich. p. 3. concl. 12. n. 11. seqq. B. Carpz. J. F. p. 3. C. 10. d. 12. 13.* quibus omnibus jungi meretur *Struv. Synt. Civ. Ex. X. th. 32. & Meur. Merlin. de legit. lib. t. 4. qu. 3. & 4.*

Conclus. XI.

Ac non nisi institutionis jure utiliter relinquatur.

Sec. receptissimam Dd. opinionem in *auth. noviss. C. de inoff. T. per N. 115. c. 3. pr. Gothof. in not. ad h. J. veteri* qualiscunque sufficiebat titulus, puta donationis s. inter vivos, s. mortis causa, legati, fideicommissi. *§. ult. J. d. t. & l. 6. C. eod.* Si testator hoc expressè adjecisset, ut in legitimam imputaretur *l. 35. C. d. t.* Verum J. novissimo, ut innuimus, non quovis titulo, sed tantum institutionis præcisè relinquenda est. Rationem innovationis Dd. assignant hanc, quia est titulus honoratior *arg. l. 5. §. 6. ff. de legat. prest. l. 26. in f. pr. ff. si quis omiss. caus. T.* atque propter Jus accrescendi utilior. *l. un. C. quand non pet. part. & c. Carpz. 3. C. 9. d. 1. n. 4. Struv. d. l. th. 30.* accedit etiam remedium *l. f. G. d. edicto D. Adrian. Dissent. Dn. Strauch. dis. 9. aph. 38.*

B 3

Con-

Conclus. XII.

Tam J. Canon. quam Civili.

Neque enim quoad instituendi necessitatem discrepantiam J. Canon. à J. Cli ullam agnoscimus, contra Hostiens. *in c. Raynut. X. de testm.* ibique *Butr.* quia illa citra expressum J. Canon. textum temerè non est admittenda *c. 1. & 2. de nov. oper. nunc.* cujusmodi textum hic desideramus; imò contrarium non obscure colligitur *ex c. 1. X. de testam. in 6. & c. 12. X. qui filii sunt legit.* quam sententiam fovent *Jas. in auth. noviss. C. de inoff. T. n. 37. Sallie. in l. ult. C. fam. ercisc. Didac. Covarr. ad d. c. Raynut. §. 1. n. 10.* Cui conforme omni ex parte etiam est J. Sax. ut patet *ex Tom. 1. Consult. Sax. p. 2. qu. 31. & Constit. Elect. 9. add. Berlich. p. 3. concl. 15. n. 14.*

Conclus. XIII.

Nihilo vero relicto titulo institutionis honorabili, testamentum corrui.

Ad eò E. hæc instituendi solennitas ratione descendendum necessaria est, ut ea neglecta ipsa testamenti substantia coruat, nec querela inoffic. opus sit. *N. 115. c. 3. Wesenb. in Parat. de inoff. T. n. 7.* quomodo etiam responsum ab Ampl. Facult. Jurid. Academiæ hujus Jenensis A. 1618. teste *Magn. Dn. D. Richtero dec. 40. n. 5.* Neque dictis obstat *N. 18. c. 1.* quia illam per *N. 115.* correctam esse non improbabilis est *Berlichii* opinio, relata *p. 3. Concl. 15. n. 8. seqq. add. Job. Wurms. Illustris Academia Tübingensis Antecessorem in Nucl. Jur. D. 9. th. 9.* Ampliantur dicta, ut ne quidem in testamento ad pias causas illa solennitas omitti queat, *arg. c. 1. XI. de test. in 6.* quia hæc solennitas vanis ac superstitiosis illis, à quibus hoc genus testamenti liberum esse passim celebratur, accenseri haut meretur, vel eo, quia in favorem & utilitatem liberorum indroducta est; cui favor piæ causæ derogare non potest

test, *auth. si qua mulier. C. de SS. Eccl.* Imò licet communiter Dd. hunc in legitima institutionis defectum clausulam codicillarem vel clausulam, *omni meliori modo, via & forma*, supplere & testamentum aliàs irritum & nullum convalidare pleno ore doceant, tamen non immeritò illæ clausulæ cuiquam suspectæ videri debent, ut benè advertit *gl. in auth. ex Caus. C. de lib. prat. Covar. ad d. c. Rayn. Berlich. p. 3. concl. 15. n. 59.* qui pluribus rationibus hoc adstruit: Unde illis clausulis non attentis tale testamentum utpote irritum & nullum concidere responderunt olim hujus Academ. Profess, teste *Reusnero l. 1. decis. 10. n. 29.* quibus conformia refert *Carpz. p. 3. C. 9. d. 12.* Cessat tamen dicta institutionis solennitas, si illa in favorem liberorum fuerit omisa *gl. in l. 36. vers. Repletionem. C. de inoff. T. Angel. & Dd. in l. cum filio. ff. de vulg. & Pup. subst. Berlich. d. l. u. 54.* quod notabili responso *Scabini Lips. in causa Hansen und Georgen der Fischere von Lengefeld confirmat Dn. Carpz. 3. C. 9. d. 11.*

Conclus. XIV.

Non tamen necessum est, totam legitimam titulo institutionis relictam esse, sed sufficit, si quâ in parte sint instituti.

Sufficit enim in minimâ parte quem institutum *Carpz. 3. C. 9. d. 1. n. 6. Struv. Ex. X. th. 31.* quin imò paucis in *Jochimicis, Carpz. ibid. n. 7.* nec enim potest tunc quis de inofficiosa exclusionem queri, sed quantum deest legitimæ. Nec etiam spontanea agnitione legati legitimæ loco relictæ, perit actio in supplementum, *l. 30. C. de inoff. T. l. 35. §. 2. eod. Dn. D. Richter. c. l. n. 18.*

Conclus. XV.

Integra igitur non relictæ, ad supplementum liberi agere possunt, Conditione *ex l. 30. ac l. 36. C. de inoff. T.*

Quam

Quam Justin. noster Sacratissimus in *d. l. 30.* introduxit, atque
l. 36. ibid. clarius repetiit, *jung. §. 3. J. d. t.* Non autem actione
 ex testamento, aut petitione hereditatis, ut vult dissentiens
Trentl. Vol. 1. D. 13. th. 12. Cæterum hæc actio non contra here-
 dem solum, verum quandoque etiam contra legatarium intendi
 potest. *Comm. Dd. opinio in l. 8. §. 8. ff. d. t.* transit itidem ad he-
 redes, etiam extraneos *Dec. cons. 218. incip. in casu ad me trasmis-*
so. n. 4. Gail. 2. O. 120. n. ult. Hoc autem loco obiter advertendum.
 quod, si petatur legitima, singula antea vivo adhuc parente ac-
 cepta conferri debeant; sic filia ex feudo novo emittio legitimam
 portionem poscens, omnia, quæ superstiti, vel etiam mortuo pa-
 tre, dum nuberet, accepit, conferre tenetur, ac imputare, *Carpz.*
3. C. 9. d. 32. n. 1. Nec excipitur gerada. *Const. Elect. 11. p. 3.* Huc re-
 ferimus etiam res expeditorias; Dicta namque de Gerada impu-
 tatione, non incongruè etiam ad rerum expeditoriarum, vulgò
Heergewest imputationem in legitimam extenduntur. *Carpz. d. l.*
def. 9. ubi adhuc plures res recenset. Distinguit tamen inter legiti-
 mam maternam & paternam, ita ut gerada in priorem imputetur,
 res vero expeditoriæ in posteriorem, *Carpz. dd. ll.* A collatione
 autem immunes sunt (1) sumtus studiorum (2) Doctoratûs (3) ad
 consequendum tit: Notarii (4) ad peregrinationem erogati, *Carpz.*
d. l. def. 17. & 18. quam assertionem *def. 24.* limitat, quorsum B. L.
 remitto.

Conclus. XVI.

Durat autem dicta actio ad 30. annos.

Ratio, quia est personalis, attestante *Gail. d. l. n. 7. Dn. Struv.*
Ex. X. th. 31. Scotan. D. 24. th. 16. frustra repugnante *Bart. in l.*
34. in. f. C. de inoff. T. qui quinquennio præscribi ei, ait ad instar
 querelæ inofficiosi, cujus sententiam *Bald. Salic. & Castr.* rejiciunt,
 statuentes, requiri 30. annorum cursum, veluti in aliis actionibus
 personalibus: Cui Camera Imp. ita judicando robur addidit, teste
Myns. 2. O. 72.

Con-

Conclus. XVII.

Nisi forsan quod legitimæ deest, pacto, vel transactione à liberis sit remissum.

L. 35. §. 2. in f. C. de inoff. T. ubi: nisi hoc specialiter, s. in apocha, s. in transactione scripserit, vel pactus fuerit &c. omni exclusa querela paternum complecti compelletur iudicium.

Conclus. XIIX.

Debetur vero hoc debitum bonorum subsidi-
um, absque ullo gravamine, ulla conditione
adjecta, ac dilatione.

*L. 32. l. 36. §. 1. C. de inoff. T. N. 18. c. 3. l. 71. pr. de V. S. gl. in auth. noviss. C. d. t. Gail. 2. O. 121. n. 8. 9. & O. 129. n. 2. Card. Tusch. Tom. 5. pract. concl. lit. L. concl. 187. Berlich. p. 3. concl. 13. n. 3. Fach. l. 4. c. 33. Struv. Ex. X. th. 30. Ratio hujus coclusionis est, quod legitima non capiatur iudicio testatoris, sed ex dispositione legis, arg. l. 7. de bon. dam. & N. 1. pr. §. 2. Jam vero regula est, cui nihil reliquerimus à nobis ipsis, eum quoque gravare nos non posse; item quem non honoraverimus, eum nec licere onerare, §. 1. J. de sing. reb. per fid. rel. Rittersh. ad N. p. 6. c. 4. n. 27. Quando autem onus s. gravamen legitimæ opponi posse negatur, tunc id non eum habet sensum, quasi æs alienum & funeris impensa post detractio-
nem legitimæ demum deducantur; Nam utrumque legitimam extenuare, & legitimam demum post æris alieni & funeris impensa detractio-
nem deberi, explorati juris est l. 8. §. 9. de inoff. T. & vel inde constat, quia legitima regulariter est quota hereditatis; Jam vero sicut in hereditate commoda & incommoda habentur, quorum omnium heres, mediante successione, particeps factus est, legitimam ceu quotam hereditatis sine onere absolutè dici non posse manifestum est. Bach. ad Treutl. Vol. 1. D. 13. th. 12. lit. B. Verum per gravaminis rejectionem h. l. id propriè innuitur, de-
ducto*

C

ducto

ducto ære alieno & funeris impensâ, ex reliquis bonis testatoris legitimam heredi ab omni onere vel gravamine debere relinqui liberam, *Gail. 2. O. 119. n. 11. Chiflet. de port. leg. c. 12.* quomodo etiam aliquoties pronunciatum in hac Academia refert, *Dn. Richter. p. 2. dec. 41. n. 10. 67. seqq.* Ex quibus fundamenti loco præsuppositis consequitur, testatorem legitimæ præstationem sub conditione aliqua suspendere non posse, *arg. l. 32. ibique Salic. l. 36. §. 1. C. de inoff. T. Gomez. var. resol. Tom. 1. c. 11. n. 29. Card. Mantica de conject. ult. volunt. L. 11. t. 18. n. 14.* Et latè *Dn. Merlin. de legit. L. 3. t. 2. qu. 2. per tot.* quin onus indistinctè à legitima rejicitur, s. sit in modo, quantitate, loco aut tempore, *Alex. in l. cum dotem. n. 13. ff. solut. matr.* adeò ut oneris nomine hîc non excludatur legatum vel fideicommissum, *l. 36. §. 1. C. de inoff. T. Gail. 2. O. 119. per tot.* vel etiam ususfructus, quia illæsa debetur legitima s. proprietatem sive usumfructum respicias, *auth. Noviss. ibique Dd. Claud. Chiflet. d. Tr. c. 12.* vel denique donatio aut alienationis prohibitio, *Rittersh. ad N. p. 6. 4. n. 27.* Omnia enim hæc & similia gravamina censentur pro non adjectis; idque ex autoritate & dispositione legis, adeo ut nulla petitio, instantia vel hereditatis declaratio aut protestatio pro salvandâ legitimæ quantitate necessaria sit. *Vasq. in d. l. 32. C. d. t. n. 245.* Ampliantur autem dicta, ut procedant etsi gravamen favorem piæ causæ concernat: Utut de legatis ad pias causas non detrahatur falcidia, nec Trebellianica, per text. perspicuum in *auth. similiter. C. ad L. Fal. ibique gl. & Dd. communiter. Gail. 2. O. 119. n. 6.* Imò interdum plus faveatur piæ causæ, quam liberis, *vid. Hieron. Panschmann. L. 2. qu. 6. n. 20. Magnif. Tabor. in analect. ad Barbosam. L. 14. O. 35. axiom. 1.* Tamen hoc fallit, quoties agitur de detrahenda legitima, quia pia causa illi, ut magis privilegiatæ, derogare non potest, per ea, quæ tradit *Jul. Clar. L. 3. sent. §. testam. q. 6. vers. 5. Merlin. L. 3. tit. 2. q. 5.* Fallunt tamen dicta de gravaminis aut oneris rejectione, si illa favorem heredis concernant, cujusmodi favor concernitur in substitutione Pupillari directa, per *l. 26. C. de inoff. T. l. 92. §. f. ff. de legat. 1. add. Schvvarcz. in d. l. 32. C. d. t.* Ratio est quia testator substitutum honorat, E. cum quoque gravare potest, *l. 1. §. 6. de Legat. 3. Gail. 2. O. 119. n. 14.*

n. 14. Berlich. p. 1. Decis. 110. cui rei confirmandæ accedit notabile responsum Dicasterii hujus Salanæ ad requisitionem Martini Köhler zu Oderam m. Febr. A. 1619. quod conceptis verbis recensetur à Dn. Richtero p. 1. dec. 41. n. 12. Hat Hans Holzmüller sel. seinem letzten Willen / Anno 1650. besage des extracts sub lit. A. auffgerichtet / und darinnen seinen Sohn Caspar Holzmüllern neben andern Kindern zu Erben eingesetzt / darneben verordnet / daß gedachter Caspar nur die Abnutzung die Zeit seines Lebens haben / und dessen Kindern der Eigenthum unvermindert verbleiben solle ; Weil nun erwehnter Testator diese Ursach seiner disposition angezogen / daß gedachter Caspar das seine nachwilliger Weise verschlemme und durchbringe / und daher seine Kinder künfftig von ihm der Großväterlichen Verlassenschaft sich wenig zugetrosten haben möchten etc. und der Sohn Caspar den entzogenen Eigenthum nicht gestritten / die seines Vaters Verordnung nach angestellte Erbtheilung beliebet / und derselben gemess die Jährliche Abnutzung eingenommen / so ist seine hinterlassene Wittib / euer Pflegfrau / ungeachtet des Oderamischen Statuti, ihres Schwester Vaters Testament / so ihren leiblichen Kindern zum besten gemacht / zu impugniren nicht befugt. Eodemque modo M. Decembr. A. 1626. Casparo Schmieden / Quæstor zu Gräffenthal responsum fuit.

Conclus. XIX.

Si planè nihil relictum, tunc pro legitima consequenda competunt plures Actiones.

I. namque se offert hereditatis petitio, arg. l. 10. §. 1. ff. de hered. pet. Bachov. Tr. de Act. D. 2. th. 7. lit. A. Franc. de Barry. L. 16. Tit. 13. n. 3. Gail. 2. O. 122. n. 7. Carpz. 3. C. 9. d. 28. n. 12. II. est familiæ erciscundæ arg. l. 35. pr. §. 1. de her. instit. §. arg. l. 2. §. 1. fam. ercisc. Claud. Chifl. c. 15. III. quandoque pro legitima datur remedium, l. f. C. de Edict. D. Hadr. toll. IV. non in congruè pro ea competere interdictum, Salvianum docet Statil. Pacif. de Salv. interd. insp. 3. c. 4. n. 54. Petr. Ant. de Petra Tr. de Fid. qu. 15. præsupposito tamen hoc, quod legi-

legitimam petens in ea sit institutus, quia tunc datur hypotheca, pro qua interdum Salvianum competere expeditum est, sicuti illa cessante, & hoc deficit. Denique instituto in legitimam Interdictum Quorum bonorum tribuit. *Bernhard. VViedenbruck. Tr. Method. de interdict. c. 3. n. 29.*

Conclus. XX.

Igitur statuto aliquo, ut supra dictum, tolli in totum minime potest, neque consuetudine.

Ita quoque iudicavit Camera Imp. teste *Myns. Cent. 5. O. 43.* ubi ex facto consultum respondisse in contrarium, *Pano. cons. 65. n. 9. vol. 1. refert.* Minui quidem potest, quia eatenus est ICLIS, quatenus certa terminata est quantitas; Sed in totum tolli nequaquam, quia ea liberis J. Naturæ debetur *l. 7. §. 3. unde liberi.* Deinde succedit in locum alimentorum, quæ J. N. liberis debentur, cum necare videatur, qui alimenta denegat. *l. 4. de agnosc. lib. t. t. C. de alend. lib. Gail. 2. O. 122. n. 3. & 4.* ubi de hac quæstione multa scribit. *add. Carpz. 3. C. 12. d. 5.*

Conclus. XXI.

Amittitur autem legitima (1) exheredatione justa ac legitima.

L. 7. pr. de bon. damn. t. t. f. de exheredat. liber. N. 115. c. 3. Gail. 2. O. 122. n. 18. Et justam quidem exheredationem eam appellamus, quæ provenit ex causis illi sustinendæ à jure determinatis, quarum causarum liberos à successione excludunt *XIV. No. 115. c. 3.* Ratio autem quod exheredationi sufficientes causæ & ad legitimæ privationem sufficiant, est in promptu, quia illæ querelam inofficiosi, & per consequens totam succedendi spem excludunt; E. multo magis certa quadam portione heredes ab intestato futuros privandi vim habent, quia totum qui potest adimere, quidni & partem? *arg. c. post. 10. X. de off. deleg. Dn. Tabor L. 18. ad Barbosam c. 22. ax. 2.* Non E. debetur legitima ingratis ac impiis, sed piis ac obedientibus tantum, *l. 17. §. 3. de adopt. & emancipat. Ungep. Ex. 12. q. 9. in nego.*

Con-

Conclus. XXII.

(II.) Privatione.

Si scil. parens vendat universa sua bona cum pacto, ut post obitum suum fiat traditio; Sed debet tamen probari, pretium revera patri fuisse numeratum: Sola namque confessio patris filiis hautquaquam nocebit, *Gail. 2. O. 116. n. 5.* ratio, quia legitima dicitur deducto prius ære alieno, *l. 8. §. 8. ff. de inoff. T.*

Conclus. XXIII.

Denique (III.) renunciatione jurata.

Fit autem renunciatio illa vel vivente testatore, vel post mortem ejus, quando delata est hereditas. Illa, quæ contingit vivo testatore, etsi J. nostro civili regulariter improbata sit, ut latè ostendit *Kellenbenz. in Tr. de renunciat. succes. q. 1. §. 2.* tamen J. Pontificio, quod habetur in *c. quamvis. X. de pact. 6.* si illa juramento fuerit communita, vim suam sortietur, ut ejusm. renunciãs non tantum à successione, sed legitima exclusus censeatur; modo tamen ejusmodi renunciãti, ex *c. filia* aliquid, quod vicem legitimæ subeat, licet eam non æquet, puta dos vel alimenta, à testatore relinquuntur, quia *d. c. quamvis*, correctorium JClis loquitur tantum in terminis dotatæ, *Bach. ad Trent. V. 1. D. 6. th. 8. lit. G.* Neque interest h. casu, utrum renunciatio fuerit facta generalis, an specialis, quia juramentum renunciãtionis conjunctum habet vim specialis expressionis, & perinde est, ac si de ea facta esset mentio. *conf. Carpz. 2. 2. C. 35. def. 4. §. 16.* Idque multò magis altero casu obtinebit, quando jam delatæ hereditati renunciatio facta est, quia tum quantitatis bonorum certioratio, mediante inventario, renunciãti fieri debet, ut ita omnibus bonis renunciãns, de legitima quoque cogitasse, præsumatur, quia *omne*, qui dicit, nihil excludit. *l. si is qui. §. utrum. ff. de reb. dub. videatur omninò Domini. Præfatis Dissertatio Inauguralis de pactis renunciãtionis ad c. quamvis. de pact. in 6. Sect. 3. per tot.* Quid autem sentiendum sit de renunciãtionis simplici, & absq; Juramento facta, in conflictu videbimus: Consule interea loci, *Dn. Richters dec. 40. n. 27.*

Conclus. XXIV. & Ultima.

Neutiquam vero amittitur omissione inventarii. Heredem legitimam privari docent Dd. si inventarium facere neglexerit; sed hoc tantum respectu creditorum ex causa onerosam debita exigentium, quibus heres non confecto inventario in solidum obligatus est, *l. f. §. 1. & 2. C. de jur. delib. N. I. c. 4* Frustra enim quærimus de adimenda legitima, præsertim, si hereditas tota gravata est ejusmodi ære alieno, quia legitima, utut sine onere debeatur, æris tamen alieni deductio eam semper præcedit, etiam si inventarii confectio ritè observata fuisset: Unde h. casu, ubi illa omissa est, legitima detrahi nequeat, fit tantum per consequentiam, dum omnibus oneribus hereditariis heres se obnoxium reddidit; Quamquam onus detrahendi æris alieni ante legitimæ deductionem effugere idem vel in solenni inventarii confectio non potuisset: Unde verior & communior habetur opinio, legitimam omissione inventarii non amitti, nisi de fraude & bonorum interversione manifestò probetur. *Gail. 2. O. 138. n. 14.* cui sententiæ vulgari ceu æquiori & favorabiliori in praxi inherendum esse censent *Rittersh. ad N. p. 6. c. 8. n. 38.* Et tantum de nobilissima hac legitimæ materie; quia plura addere nec temporis, nec instituti ratio permittit. Sit itaque hic tetminus,

DEO TRINUNO SIT LAUS HONOS
& GLORIA!

Quæ fit Legitimæ natura ostendis, Amice,
Legitimum tribuet JUS diadema Tibi,
*In honorem Dn. Respondentis, Amici charissimi,
gratulabundus apposuit,*
Joh. Mart. Schrumpff/ LL. Stud.

Es ist/geehrter Freund/gar schön und hoch zu heben/
Wenn einer nur nach dem/was Ruhm und Ehr kan geben/
Strebt in der besten Zeit/ so wohl bey Tag als Nacht
Und bey den Büchern sich gar offte müd' abwacht;

Das

Das ist; In dem er weiß/was die Natur den Kindern
Bermachtet ingesamt; Er wirds auch niemals mindern/
Im Richterlichen Stand/Obt gebe Glück und Ruh/
Nebst seiner Portion den Brautschatz auch darzu.
Dieses setze zu stets grünender und blühender Freund/
schafft seinem viel gönstigen Freunde und Gönner.
C. B. U. L.

Was Edler rechte Schluß/den Kindern zuerkent/
Läßt sein gelehrtes Blat/geehrter Freund Uns wissen/
Daraus man klährlich kan sein künfftig Glück schliessen/
Nicht deucht die Tugend hab' Ihm schon sein Theil benent.

dieses setze dem Herrn Autori als seinen viel werthen
Freunde und Landsmanne/ enlfertigt hinzu.

Chr. Fischer.

Viro-Juveni

Pre-Eximio atque Eruditissimo.

DN. JOHANNI Krieg / J. U.

Cultori perstrenuo, Amico suo hactenus &
posthac desideratissimo

DE LIBERORUM LEGITIMA

publicè disferenti

boni ominis causa scribebat

LEGITIMAM tractas, & quæ sit portio justa

Prolis, quam cedit post pia fata Parens

Disquiris, penitus labor hic encomia poscit,

Et quærit studiis præmia digna tuis.

Consequeris torquem meritam Themidosque brabæa

Et sic exactè LEGITIMATUS eris.

Georg Caspar Wittscheibe/
Cönigsberg. Neo-Marchicus.

Ad
Pra-Eximium atque insigniter doctum
DN. JOHANN. Krieg/ J. U. Stud.

Disertationis hujus eruditè elaboratæ Autorem;
Amicum suum summè dilectum.

Tradis LEGITIMAM NATORUM, suavis AMICE,
Censent te natum, *legitimum* Themidos.

Legitimè pergas felicem currere cursum,
Legitimam laudem Musa benigna dabit.

καρδίῳθεν ἐκ τῆ παρακλήμα ς.

Jacobus Pauli, Regismontanus
Neo-March. Philos. Stud.

LEGIBUS additus doctè defendis, AMICE,
LEGITIMAM, gratulor fibritus inde TIBI.
LEGES Te legisse probas probè. Pergito, & olim
Pro studio Themidos præmia digna leges.

*Paucula hæc in honorem Domini Conterranei sui
πολυφιλάτης adjicere ut debuit, ita voluit*

Heinricus Eberwein/
LL. Stud.



3.


ULB Halle 3
003 349 802




Sl.

WMA







Farbkarte #13

B.I.G.

VI. 1670, 57

ante Gratia!
CONCLUSIONES

M
29

A LIBE- UM

. 30. & l. 36. C. de
. Raynutius. X. de
ent.

isfimi Jctorum
na Ordinis.
SIDIO

- HENRICI
ANNI,

lvocati celeberrimi

ptoris sui jugi obser-
ultu devenerandi.

demici vice

ndas proponit

eg/ Crotend. Misn.

bris Anno 1670.

Bauhoferianis.

2